



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Estne Contritio Necessaria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

ALTER error est manifesta contumelia contra Christum, quod fingunt, contritionem mereri remissionem.

ESTNE CONTRITIO NECESSARIA?

RESPONDEO. Est necessaria aliqua contritio, quia in iamento dicitur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Oratio copulativa est, & utrunque affirmat. Vult fieri conversionem, & promittit vivificationem. Significat autem in eodicto conversio non simulatum dolorem, & mutationem prioris propositi. 2. Corinth. 7. Contristati estis, ad poenitentiam, & tristitia secundum Deum, poenitentiam ad salutem non poenitentiam estis. Rom. 6. Vetus noster homo simul crucifixus est, ut aboleretur vetus peccati, ne serviamus peccato. Item: Initium sapientiae, timor Domini. Supra citatum est dictum Iesae: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & tremementem sermones meos. Item: Scindite corda vestra. Item: Deus ignis consumens est. Deus in calamitatibus hanc miseram naturam ideo oneravit, ut iram aduersus peccatum agnoscamus, & perterrefacti confugiamus ad iustitorem. Iesae 28. Vexatio dat intellectum. Psalm. 118. Bonum quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

CONTRA.

De ignoto non potest esse dolor,

Multa & magna peccata, quae tamen non novimus, remittuntur,

Ergo non est necessaria contritio.

RESPONDEO ad maiorem: De ignoto non potest esse dolor, scilicet in specie. Deinde ad minorem respondeo: Multa & magna peccata, quae tamen non novimus, scilicet in specie, remittuntur, sicut scriptum est: Delicta quis intelligit? Sed in genere notum est, in hac depravata massa caliginem & dubitationes esse, & in ultis erroribus flammam, ut sentimus. Ideo Propheta in Psalmo simul completatur haec mala: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Neceesse est igitur, aliquem verum dolorem in nobis esse, in quo cum fide erigimur, accipimus remissionem peccatorum. Nec disputandum est, an sit sufficiens dolor, qui non pendet remissio ex merito, aut magnitudine doloris, sed certum est, nullum esse sufficientem dolorem, & cum crescit dolor sine consolatione, homo ruit in aeternum exitium. Experimus autem in veritate, in vera conversione luctam ingentem esse, & non sine magno tamine apprehendi consolationem fide, sicut inquit ille: Circumdamine, sed opem fer in becillitati meae. Item, Spiritus in corpore pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Item, Spiritus opitulatur infirmitati nostrae.

Q 11